

Iudæis excitas euitarent, quemadmodum satis ex illo Pauli loco colligi potest, qui est in epistola ad Galat. 5. versu II. 3 Carnis vsum damnant. Docent enim animalium esu abstinendum tanquam re nefaria quòd illa sint immunda, quia è coitu nascuntur. Hanc pestem ex Pythagoreorum lacunis prodiisse, sed tamen futuram prædixit Spiritus sanctus, I. Timot. 4. vers. 3.

4 Solum Euangelium, quod est secundum Mattheum, quia Hebraicè scriptum est, retinent & probant: reliquas noui Testamenti partes & Scripturas repudiant, imprimis autem omnes Pauli epistolas, quòd contra vsum ceremoniarum accuratissimè disputauit. Atqui & Euangelium secundum Iohannem, & Acta Apostolorum, suo seculo Hebraicè scripta commemorat Epiphanius, & à quodam Iosepho Iudæorum patriarcha in Tiberiade vrbe, tēpore Constantini Magni, reperta Christianisq; liberaliter fuisse communicata & Prophetias vanis & inanibus allegoriis corrumpunt, dum nodum in scirpo quærunt, & res faciles curiosis speculationibus obscurant, & peruertunt. Sic nimirum spiritu vertiginis aguntur, & in reprobum sensum tandem traduntur, qui magni animi fastu vt supra Christum sapiant, simplici Dei veritate non sunt contenti, sed ab ea scientes prudentesq; desciscunt.

3 *Eusebius.*) De his agit Eusebius lib. 6. hist. ecclesiast. cap. 28. & nos infra.

CAP. XI.

Valentiniani à quo appellati. Erroris autem capita sex recensentur.

Valens-